

is, est essentia, & ista alia, petrus est existens, est accidentalis; ergo prædicata accidentalia ab essentia distinguuntur, quia implicat idem esse essentiam & accidens respectu cuiusdem subjecti.

Respondeo, distinguo. antecedens, existentia est accidens predicable respectu petri v.g. concedo antecedens, est accidens predicamentale; nego, ut patet in sequenti propositione, petrus est visibilis, quam dicunt omnes philosophi ad prædicamentū propriū pertinere; unde quod aduersarij dicunt, illam, primam propositionem in argumēnto suo adductam esse essentiale, aliam vero accidentalem, talis diuersitas non arguit distinctionem inter prædicata illa, sed solum diuersitatem in modo prædicandi, & distinctam significationem copulae, est, prædictis propositionibus; quia in propositione illa, petrus est rationalis, particula, est, haber significationem distinctam ratione prædicati adiuncti, ut contingit in cunctis propositionibus æternæ veritatis; in alia verò propositione, videlicet petrus est existens, copula, est, sumitur in rigorosa & propria significatione illius, & ita accidentalis dicitur ex eo, quod contingens sit petrum esse, aut non esse, & sicut contingens est petrum, esse, ita contingens petrum esse rationalem; nam quod non est, rationale non est.

69. Obijcies 9. essentiæ rerum sunt ingenerabiles, & incorruptibiles; existentiae autem sunt generabiles & corruptibiles; atque corruptibile, & incorruptibile distinguuntur, ergo essentia & existentia distinctae erunt.

Respondeo, quod si sumatur physicè tam essentia quam existentia corrumpuntur, si verò sumantur in esse possibili, similiter sunt incorruptibles ambæ, & omnes res similiter; quia quod est possibile, est essentia liter possibile, & quod possibile non est, per nullam potentiam fieri potest possibile, quo sensu res omnes in esse possibili improductibiles sunt.

70. Obijcies 10. potest concipi existentia sine essentia creata; ergo essentia distinguitur ab existentia.

Respondeo; quando essentia habet entitatem potest concipi sine sua existentia, nego; quando non habet actu suam entitatem, concedo; quia haberé essentiam actu est actu existere, essentiam esse possibilem est posse existere, essentiam esse actu est actu existere. Vnde recte philosophando, & bene rem perpendendo non possumus concipere essentiam, nec in esse possibili, nec in esse actuali sine ipsa existentia, vel possibili, vel in actu exercito, quia quod non habet existentiam possibilem, non habet nec essen-